





DISSERTATIO JURIS PUBLICI

De

22
1703-M^o

FOEDERIBUS STATUUM IM- PERII CUM EX- TERIS

Quam
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

D. N. FRIDERICO
WILHELMO,

REGNI BORUSSICI, ELECTORATUS AC PRO-
VINCIARUM HÆREDE &c. &c. &c.

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,
PRÆSIDE

JACOBO BRUNNEMANNO,

JURIUM LICENT. ET PROFESS. PUBL.
EXTRAORDIN.

D. Februar. MDCCIII. H. L. 2. C.

Eruditorum disquisitioni subjicit

ANDREAS CASPARUS SCHWARTZKOPFF,
Brunsvicensis.

HALE MAGDEBURGICÆ,

Typis JOHANNIS GRUNERI, Acad. Typogr.

INSTITUTIONE

FORDEKLIS

STATUM EM

RETIUM EX

TRIS

LECTOR

DR. R. ED. RECO

WILLIAMS

JACOBO

FRANZ

FRANZ

FRANZ

FRANZ

FRANZ

FRANZ

FRANZ

SERENISSIMIS PRINCIPIBUS

AC DOMINIS,

DN.

RUDOLPHO
AUGUSTO,

AC

DN.

ANTONIO
ULRICO,

DUCIBUS BRUNSCVICENSIBUS
ET LUNEBURGENSIBUS,

FRATRIBUS GERMANIS, IN PATRIÆ IN-
CREMENTUM SCEPTRA GERENTIBUS,

PRINCIPIBUS PIIS, FELICIBUS,
Augustis,

DOMINIS MEIS LONGE CLEMEN-
TISSIMIS.





SERENISSIMI PRINCIPES,

DOMINI LONGE CLEMENTISSIMI.

EA est omnibus ad unum mortalibus ani-
mi indoles, ut illos, qui supra humanæ
dignitatis fastigium evecti sunt, Deique
personam inter homines sustinent, sub-
mississima veneratione prosequantur. Indidit
enim, imo altius impressit, singulis Deus T. O. M.
hanc mentis opinionem, ut eos piissimo cordis
adfectu colant, quorum ditio nascentium vagi-
tus primum excepit, & sub quorum regimine
felici fruuntur aura. Diu est, cum justa hæc de
Summis Principibus existimatio altas in corde meo
egit radices; quapropter devotissimam eam men-
tis

DEDICATIO.

tis venerationem foras proferre, illudque facere, quod pietas atque Religio præcipit, mearum partium esse duxi. Nemo est, qui Principes non amet colatve; sed magis illi, qui in virtutis ac doctrinæ officinis ea addidicerunt officia, quæ jura divina ac humana Civibus erga Principes observanda præscribunt. Postquam itaque nomen in Societatem Academiae Patriæ, quæ Helmstadii floret, dedi, ibique per annum & aliquantò amplius bonarum artium studiis operam navavi, Halensis quoque, ferax illud doctissimorum Virorum seminarium, mihi ad eunda erat, atque per totum ibi commorandum biennium, quò ad reconditos sapientiæ fructus adspirare valerem. Et cum reddenda esset ratio de transacto feliciter curriculo Academico, optima id ratione fieri posse putavi, si more apud Majores nostros recepto, disputationem quandam publice haberem, eamque, **VOBIS, SERENISSIMI PRINCIPES**, submississimâ animi devotione dedicarem. Qui olim Dianam in venatione propitiam experti sunt, sufficere putarunt, vel dentem ædis ipsius liminibus adfigere. Pari fulcimento confisus, præ lens exercitium Academicum ad pedes **VESTROS** devolutus humillimè obfero, qui huc usq; cum Parente meo propensissimam

DEDICATIO.

fissimam peneque divinam expertus sum gratiam. Largimini quoque nobis in posterum consuetam, quæ à VOBIS, tanquam Principibus, proficiscitur, benevolentiam, & hanc chartam, ut sempiternæ devotionis signum, uberrima VESTRA gratia amplectimini. Non deero unquam pro incremento *Ducum Brunsvicensium ac Luneburgensium* ardentissimas fundere preces, eamque obedientiam, subjectionem ac fidelitatem præstare, quæ in obsequiosissimum Civem ullo modo cadere possunt. Servet Vos DEUS, PRINCIPES CLEMENTISSIMI, Regimenque VESTRUM per omnia secula contra omnium insultus muniat, & Saluti Patriæ Gloriæque *Domus Brunsvicensis* immensa æternum adjiciat incrementa.

VESTR, VESTR, SEREN, SEREN,

Devotissimus ac subjectissimus
Servus,

A. C. SCHWARTZKOPFF,



Q. D. B. V.
 DISSERTATIO
 De
**FOEDERIBUS STATU-
 UM IMP. CUM EX-
 TERIS.**

CONSPECTUS TOTIUS DISSERTATIONIS.

Cum Statuum Germ. conditione, ob superioritatem territorialem, Principes & titulata alia dignitate fulgentes cives in aliis Rebus publ. nullatenus conferri possunt. §. 1.
 Superioritas hac territorialis complectitur sub se jura Majestatica Belli & Pacis. §. 2.
 Ex hac itaque de forma Imperii nostri judicandum, non ex simulacris Regiis. §. 3. quo tempore Ordines hanc potestatem nacti, diverse hypothefes Conringii & sequacium ac Furstenerii. ibid.
 Media sententia eligitur, quod superioritatis Statuum origo a temporibus Conradi I. arcessi possit. §. 4.
 Cause, quod Germania eo tempore in perfectum systema Federatarum Civitatum nondum degenerare potuerit. §. 5.
 Inter has connumeratur merito ignorantia politicis, cum & quod ipsorum potestas magis observantia, quam claris pactis, nixa fuerit, sicque a Legulejis obscurata. §. 6.

Caroli V. tempore demum Juribus Ordinum Capitulatione prima solenni prospectum fuit. §. 7.

Status plenissimum Jurium suorum exercitium recuperarunt vi Instrumenti Pacis Westphalicae. §. eod.

In specie vero iis ibidem Jus foederum assertum est. §. 8.

In quantum hoc jus foederum iis competat? excutitur. ibid.

Differentia Foederum a Sponsionibus, nec solum haec; sed illa etiam competunt iis. §. 9.

Vindicatur hoc jus Statibus omnibus, qui vel ut Status, nomine Imperii, vel superioritatis intuitu foedera contrahunt. §. 10.

Posterior consideratio nostri instituti est, & Statibus communis, nisi quod exercitium hujus juris ap. potentiores maxime conspiciatur. §. 11.

Generalis clausula: quod foedera Statuum cum exteris salvo Juramento Imperatori & Imperio praestito, facienda sint. ibid.

Explicatur haec clausula ex forma Imperii systematica. §. 12.

Offenditur contra Dn. Obrechtum, quod Statuum jura, & sigillatim jus foederis, citra historiam originis superioritatis, non possit recte explicari ex Instrumento Pacis. §. 13.

An Status habeant jus foederum offensivorum, dependet a questione praedjudiciali, an gaudeant jure belli offensivi? §. 14.

Negatur hoc ex legibus Imperii? §. eod. assertitur vero ex observantia & Statu Imperii; quia inter potentiores judicia cessant. §. 15. p. 27. 19. 19.

Hic defectus Judiciorum ulterius probatur. §. 16.

Tacite hoc confirmant, qui de executionis difficultate aut impossibilitate conqueruntur, si sententia inter potentiores Status ferenda sit. §. 17.

Assertitur porro Jus belli & foederum offensivorum Statibus contra externos. §. 18.

Plenus probatur hoc contra Schütziuum & alios. §. 19.

Reprobatur foedus offensivum, si bellum plane injustum, aut foederatus pro hoste Imperii declaratus sit in Comitibus. §. 20.

Temperamentum ex regulis prudentia circa doctrinam de Statuum libertate circa foedera offensiva. §. 21.

Ultiores considerationes Imperii Status presentis circa hanc rem. §. 22.

Foedera defensiva Statibus concessa per LL. publ. quod in effectu idem ac si offensiva concessa essent, ob moraliter impossibilem horum separar. §. 23.

Ex-

- Expenditur character belli offensivi, scilicet actualis illatio armorum alteri facta. §. 24.
- Eiam ad bella fœderaque defensiva pertinet preventio armorum intuitu alterius arma probabiliter illaturi. §. 25. pag. 32. 19.
- Dubia contra illorum doctrinam, qui præscientiam Imperatoris & Imperii circa fœdera hæc defensiva Statuum urgent. §. 26.
- Rationes Obrechtii idem evincere intendentes expenduntur. §. 27.
- Status ab immemoriali tempore in possessione fœdera cum extraneis contrahendi fuerunt, etiam contra præscitum & consensum Imperatoris ac Imperii. §. 28.
- Exempla fœderum a Statibus libere initorum cum exteris duobus præcedentibus seculis. §. 29.
- Fœdus Statuum Schmalcaldicum propterea iniustum non fuit, quia in scio Carolo V. initum. §. 30.
- An liceat Statibus fœdus inire cum extraneis contra Imperatorem? & de iustitia Fœd. Schmalcaldici, ex forma Imperii deciditur. §. 30. 31.
- De fœdere Statuum cum exteris, sub Unionis nomine celebri. §. 32.
- Ex dilectis elicitur decisio, quod Princeps non peccet fœdera iniens cum extraneo, quamdiu hic pro hoste Imperii non est declaratus. §. 33.
- Generalis decisio hic sufficit, dum omnia momenta causarum raro ad notitiam privatorum perveniunt, & hinc tutius est in thesi subsistere. §. 34.
- An Status fœdere suo cum extraneo, Imperatoris quæ Principis utilitatis adversus, in Bannum declarari possit? §. 35. pag. 49. 19.
- Conclusio dissertationis cum monitis. §. 36.

§. I.



Uemadmodum Imperium nostrum, quod Sacrum & Romano-Germanicum salutare in morem abiit, habet hoc præcipui præ omnibus Regnis & Rebus publicis, ut tum antiquitate, tum & dignitate reliqua Regna antecellat; Ita imprimis tanta præemin-

A 3

eminentia Principum ac Statuum ejusdem hodie cer-
 nitur, ut cum illa aliarum Rerumpublicarum Cives,
 eorumque conditio ac fortuna frustra conferri possit.
 Consistit vero illa præeminentia Statuum nostrorum
 non in nudis, quanquam splendidis titulis, aut in Præ-
 tensionibus jurium; sed in præsentī & indubitato ex-
 exercitio omnium regaliorum jurium, quibus ad Rem-
 publicam regendam & conservandam indigere Maje-
 statem, civilis prudentiæ Scriptores uno ore profiten-
 tur. Superioritas territorialis vocatur uno vocabulo
 complexus omnium horum jurium majestaticorum,
 quam propterea ipsam Majestatem appellare, à regulis
 sanæ Politicæ non abhorret. Ne vero temere aliquid
 asserere videar, placet hoc, documento publico, nimi-
 rum verbis Seriff. El. Brand. in *litteris de Anno 1662. 8. No-
 vembri* ad fœderati Belgii Ordines in *Diario Europeo P. 9.
 p. 536.* corroborare, quæ ita concepta sunt: daß Ihme als
 einen Freyen und *Souverainen Reichs-Fürsten* / seine una-
 disputirliche Reichs-Hoheit und *Souverainität* / mit bewehr-
 ter Hand Eintrag gethan worden. Interim tamen, Stylo
 jurispublici recepti, superioritatis territorialis modesta
 expressio magis arridet, ob memoriam haud dubie pri-
 stini Status monarchici tempore Carolingicorum Im-
 peratorum, tum & quod ipsorum Statuum inæquales
 vires, splendorem Majestatis ipsæ deprecari videantur.
 Certum etiam est, quod in antiquis monumentis ve-
 stigia extent appellationis majestaticæ, & quod *Maje-
 statis sigille* se usos esse Principes nonnulli professi sint,
 conf. Dn. Schilter *de jure Obsid. Cap. 2. §. 6.* Fr. Irenicus
ad Burgold. P. 1. pag. 132.

§. II.

Nemo hinc rerum civilium Imperii peritus dubitabit temerè, gaudere Status Imperii suprema potestate in suo territorio, nisi qua restrictio per conventiones publicas, aut pacta cum subditis appareat, illaque doceri possit; præsertim si perpendat, quod habeant Ordines Imperii jus vitæ & necis in sibi subiectos, leges condant etiam juri communi repugnantes, religionis libertate gaudeant, tributa nova indicant, si reditus ordinarii ex suis provinciis non sufficiant, armis se defendant contra subditos rebelles, monetam cudendam curent, civitates exstruant; & in summa omnia disponere possint, quæ ad Rempublicam tempore pacis tranquille & beate regendam, necessaria à Politicis creduntur. Imo cum iudice incomparabili Grotio, omnia negotia politica & Reipublicæ circa *bellum & pacem* tanquam duos cardines felicitatis & regiminis communis versentur; nec minor potestas Statuum circa jus Belli appareat. Quippe quod una cum jure legationum, & quod propius huc spectat, Fœderum, plena possident potestate & exercent. Atque hæc potestas, hæc jura Majestatica omnia, ab omni retro memoria, tum & per leges Imperii fundamentales, communia omnibus illis sunt, qui voto & sessione in Comitibus gaudent, hocque intuitu *Statuum* nomine in Imperio veniunt. Equidem *Electoralis Collegium* fruitur peculiaribus prærogativis, claris & liquidis, tum & dubiis, quas præminentias alii scriptores juris publici haud parca manu largiri & recensere solent, inter quos præcipui *Limnæus Jur. Publ. Tom. Addit. ad Lib. 9. cap. 7. n. 49.* Schweder *J. Publ. Parr. Rec. sect. 2. c. 2. §. 1.* Dn. Thulemarius in *Tr. de Octoviratu.*

Cru-

Cruger in *tr. de Fulgentiss. Novembiror. Jur. dissert. I. §. 1.* & quæ primo loco nominandæ erant *Schedæ Boineburgianæ* allegatæ à Bœclero *Not. Imp. Lib. 6. c. 2.* Verum eximia quidem jura sunt, in quorum possessione Collegium Electorale est, majoremque splendorem conciliare apta; potestas vero Statuum intuitu territorii eadem est, & superioritas territorialis, illud ens majestaticum, revera omnibus Statibus communis est; ceu id fufius persequitur personatus scriptor, qui sub Cæsariini Fursteneri nomine latere voluit, *de suprematu Principum Germania Cap. 38. seqq.*

§. III.

Non itaque judicandum est de forma Imperii ejusque intima compage, ex simulacris Regiæ potestatis, humili subscriptione Statuum ad Imperatorem, ex vetusto stylo curiæ retenta, tum & juribus nonnullis, quæ reservata Imperatoria vulgo appellari solent; sed potius bene perpendendum, penes quos in Republica aut civitate exercitium regaliorum jurium, quæ indivulso nexu cohærent, & indivisibilem Majestatem constituunt, conf. Ulricus Huberus *de Jure Civitatis lib. 1. sect. 3. cap. 3.* Puffendorff. *de Jure Natur. & Gent. Lib. VII. cap. 5.* Quo autem tempore Ordines Imperii ad tam opima jura pervenerint? non ita in aprico est. Duæ enim potissimum hypotheses & contrariæ hinc sententiæ productæ fuerunt à rerum patriarum peritis, quarum utraque suis defensoribus rationibusque non destituitur. Una Conringii est aliorumque existimantium, quos hodie Principes vocamus, olim meros Magistratus fuisse, socordia autem Imperatorum summam rerum pedetentim sibi vindicasse, add, Monzambanus *de Statu*

Statu Imper. cap. 3. Lehman. Chron. spirens. lib. 2. cap. 21.
 Altera à Cæsarino Furstenerio in modo laudato tractatu
 proposita perpolitaeque, longe augustiorem periodum
 potestatis Ordinum Imperii representans. Nimirum
 contendit Francos Reges, & inter illos Clodovæum,
 fortuna armorum usum, magnam quidem Germaniæ
 partem ad fines usque Thuringiæ, Francici nominis Ma-
 jestatem comiter agnoscere cœgisse; sed minime ex-
 istimandum esse, ditiones Germanicas in formam pro-
 vinciarum redactas esse, pulsus eorum Principibus sive
 Ducibus, substitutisque Magistratibus, verum Princi-
 pes illarum terrarum in fidem duntaxat receptos, reli-
 ctos fuisse, conditione imparis fœderis potius, quam
 subjectionis, adjunctis tamen Comitibus & Missis, ne fa-
 cilis abuterentur potestate sua. Atque hoc *integris*
capitibus 14. 15. 16. 17. 18. allegati tractatus illustrare sata-
git.

§. IV.

Quanquam autem ultima hæc hypothesis atque
 opinio de origine Statuum Imperii, & eorum potestate
 in suis territoriis, Principibus honorificentior sit priori,
 eaque communi doctrina: Attamen fatendum est, quod
 non levia argumenta sint, quæ ex vetustis monumen-
 tis historiæ germanicæ contra Furstenerium protulit
 Kulpifius *de Jure Legat. Stat. Imp. cap. 7.* & cum ob bar-
 bariem temporum genuina & perspicua plenaque re-
 censione Status Germaniæ ejusdem temporis destitua-
 mur, adeo, ut pleraque, quæ hodie de illa tradimus, ultra
 conjecturas verisimiles non exurgant, utraque sen-
 tentia in medio nunc relinqui poterit. Putamus in-
 terim, tutius potestatem libertatemque Ordinum, ejus-
 que

que primam originem, circa tempora deficientis Stirpis Carolinæ, electionisque Conradi I. quæri posse; A Conrado I. enim Periodus feudorum oblatorum accessi debere videtur; prout fufius demonstrat Dn. Thomafius *Diff. de feudis oblat. cap. 1. §. 27. seq.* add. Monzambanus *de Statu Imper. cap. 3. §. 4.* Ut hinc illi à vera origine superioritatis Statuum territorialis valde aberrant, qui excelsam hanc Ordinum superioritatem in suis territoriis pro fœtu recentiorum Publicistarum venditant; quippe de quo ante Maximiliani I. tempora nemini aliquid constitisset, conf. Boecler. *Notit. Imper. lib. 5. cap. 2. p. 77.* Equidem si de vocabulo superioritatis territorialis contentio esset, facilius cum iis transigi posset; res vero, quam indigitat isthæc appellatio, longe vetustior Maximiliani, imo omnium Austriacorum Imperatorum imperio est; uti hoc rerum Germanicarum peritum fugere non potest, aut debet.

§. V.

Interim illud abnuere non est animus, quod temporibus *Henricorum*, tum & successorum, potestas & superioritas Statuum ac Ordinum modo amplior, modo strictior fuerit, ac faciem præ se tulerit admodum inæqualem, prout scilicet gubernaculis Imperii admoti fuisse vel Imperatores bellicosi, strenui & magnæ hinc autoritatis; vel ignavi, pacifici, & curantes potius emolumenta Domus vel familiæ, quam autoritatis Cæsareæ fastigium. Nec mirus videri potest rerum politicarum & indolis humanæ gnaris talis fluctuans Status, tum & renitentia mutua inter Cæsares & Ordines; quippe quæ non potest non suppullare ex tali forma regiminis irregularis Imperii, quod eo tempore pro quarta

quarta Monarchia constantissime & instar articuli fidei vendicabatur, & in quo tamen Ordines tam eximia jura, quæ revera summam potestatem majestatemque involvunt, sibi, nec injuria, vindicabant tanquam jure proprio ab iis possidenda. Accedebat fatalis temporum istorum barbaries, & ignorantia bonarum utilitatisque generis humani inservientium literarum, ex Curia Romanæ Status ratione de industria promota ac fota, in locum ipsarum intrusa futili & ad vitam civilem inepta philosophia, quicquid naturæ bonitate in nonnullis ingeniis emicabat sani intellectus & judicii practici, obtundere & offuscare perquam apta.

S. VI.

Quia itaque ob temporum, in quibus vivebant, infelicitatem, solida notitia rerum politicarum & inprimis indolis ac naturæ Majestatis carebant; non mirum est, quod Ordines isto tempore potestatem & summam rei perspicuis legibus fundamentalibus haud comprehendendam curaverint, quin potius consueverint, jam à Ludovici Germanici ævo, laxam potestatem Imperatorum paucis iisque generalibus Capitibus vel capitulis duntaxat restringere, nam ea capitula potissimum eo collineabant, ne novus Imperator circa regimen universi abuteretur, sed illud in Comitibus procerum suffragiis temperaretur. Atque hoc colligere est ex veteribus Capitulis à *Lindenbrogio*, *Baluzio* aliisque editis, conf. Dn. Schilter *Jur. Publ. lib. 1. Tit. 2. §. 3.* add. *Rachelii Dissert. de Capitulat. cap. 2.* Hæc vero una cum reliqua potestate Ordinum, tum quoad regimen totius Reipublicæ, tum etiam cujusvis territorii, plerumque ab immemoriali consuetudine & observantia Imperiali arcessabatur,

batur, conf. ill. Dn. Coccejus *in Juris Publ. Prudent. prof.*
§. 2. seqq.

§. VII.

Quia vero hæc observantia erat lubrica, dum prævalentibus viribus vel Imperatorum vel Ordinum, modo illa immensum atollebatur, modo deprimebatur; optimum sane consilium fuit tempore instantis electionis Caroli V. ipsi certam regiminis formam præscribere, & non solum ipsius juveniles altosque spiritus potentia Regni Hispaniarum auctos, deprimere, sed etiam reliquorum Ordinum jura plenius clariusque afferere. Quanquam autem sat laxam Imperatoris potestatem hac Capitulatione indultam, collatio cum posterioribus abunde testetur, conf. Dn. Müldeneri *Capitulationis Harmonica.*: Citra dubium tamen ob perversionem de monarchica forma Germanici Imperii, vel in ipsis S. Scripturæ vaticiniis, ex eorum opinione asserta, non ausi sunt plura stipulari, licet jam tum vi superioritatis territorialis à tempore Stirpis Carolinæ extinctæ iis acquisitæ, jura regalia omnia nacti essent. Magis ac magis vero Statuum jura in sequentibus Capitulationibus fuere asserta; præsertim quia cum luce evangelica cultus bonarum literarum, & sic etiam historia Germanicæ Studiique juris publici efflorescere incipiebat. Videbant enim Ordines sine hoc libertatem religionis adferi valide non posse. Ut ut vero temporum injuria, potissimum sub Ferdinandi II. Imperio, libertas Germanica sæpius læderetur; tandem tamen iterum triumphavit ac caput extulit, cum post tricenarium bellum Pax Westphalica conderetur. Articulus VIII. *§. gaudeant.* 2. ejusdem Instrumenti Pacis Monaste-

nasterio-Osnabruggensis est, in quo veluti perpetua
& semper valitura sanctione Pragmatica, superioritatis
territorialis jura Statibus asserta stabilitaque sunt.

§. VIII.

Sigillatim autem ibidem Statibus Imperii indultum
est *jus faciendi inter se, & cum exteris fœdera*, pro sua cu-
jusque conservatione ac securitate, ita (tamen) *ne ejus-*
modi fœdera sint contra Imperatorem & Imperium, Pacemque
ejus publicam, vel hanc imprimis transactionem, fiant que sal-
vo per omnia juramento, quo quisque Imperatori & Imperio ob-
strictus est. Atque hæc famosa clausula est, quæ variis
dubiis perplexisque decisionibus ansam dedit: Præfer-
tim cum jus fœderum Statibus indultum sæpius respe-
ctum habeat ad eorum jus belli, quippe propter quod
fœdera plurimum panguntur, quodque jus non minus
quam potestas fœderum anxie sæpius, nec citra par-
tium studium ventilatum fuisse, fata nostrorum tempo-
rum quemvis docere poterunt. Nostri vero instituti
ratio eo collimat, ut abstrahendo à specialibus exem-
plis factisque, quippe privati judicii fines transcen-
dentibus, in genere consideremus, quid juris vi supe-
rioritatis territorialis ab immemoriali tempore acqui-
sitæ, tum & intuitu legum ac sanctionum Imperii fun-
damentalium, circa fœdera tam *offensiva* quam *defensiva*
Statibus Imperii vindicari possit ac debeat?

§. IX.

Nimirum notum est ex civili prudentia, quod fœ-
dera, generatim si considerentur, sint pacta publica in-
ter Principes & Respublicas, vel Civitates fœderum
jus habentes, de mutuis auxiliis aliisque commodis sibi
in vicem præstandis solenniter conventa. Atque talia

pacta proprie ab illis tantummodo contrahi, qui iuribus Majestatis pollent, nemo nisi hospes in politicis negabit, add. Grotius *de J. B. & P. Lib. 2. cap. 15. §. 2.* Puffendorff. *de J. N. & G. lib. 8. cap. 9.* Ulric. Huberus *de jure Civitatis Lib. 1. sect. 3. cap. 6. §. 25.* Hinc facile apparet nobis sermonem non fore de Fœderibus *impropriis*; qualia sunt v. c. quæ in sacris prædicantur inter Deum hominemque, unde & Puffendorffius *tr. posthumo de Jure fecciali divino* & Huberus *peculiaribus Dissertationibus de Fœderibus & Testam.* alique ansam arripuerunt, totam œconomiam divinam circa salutem generis humani ex natura pactorum fœderumque illustrandi, vel potius obscurandi; multo minus nunc agemus *de sponsonibus*, quæ à nonnullis, & sigillatim Grotio *alleg. loc.* etiam sub generali nomine fœderum comprehenduntur. Nam sponsones sunt conventiones absque mandato initæ à ministris summæ potestatis de rebus ad ipsam pertinentibus; qualis *Caudina pax* & *sponso Lucetiana*, de qua Livius *hisor. lib. 9.* Polibius *lib. 3. cap. 5.* add. Dn. Thomasi *Diff. de hisce sponsonibus.* Status vero nostri quando fœdera pangunt, non hoc nomine Imperatoris aut Imperii fit, sed jure proprio; Qui itaque jus sponsonum Statibus vellet indulgere, non multum ablueret à legalistica illorum sapientia, qui Status cum *Præsidibus Provinciarum*, aut *Præfectis Prætorio*, admodum accurate (uti sibi persuadent) comparant ex jure Romano.

§. X.

Omnibus autem illis, quibus competit jus voti & sponsonis in Comitibus, sicque superioritatis territorialis participes sunt, competit jus fœdera pangendi cum
exte-

exteris. Observandum vero est, esse hoc jus Statuum fœdera pangendi cum exteris duplex. Si enim Status Imperii considerantur ut *Status*, h. e. potestate de negotiis totum Imperium spectantibus deliberandi, statuendique, præditi, tunc si v. c. fœdera nomine, *Imperii* in-eunda sunt, commune hoc jus Statibus est, & conjunctim omnes hoc exercent in Comitibus. Itaque non solum Imperator hoc modo fœdus inire valet, conf. *Instrum. Pac. art. 8. Capitulatio Leopoldi, art. 10.* Neque deum hisce legibus Imperatoris potestatem circa hoc caput limitatam fuisse, sed ante Capitulationem primam Caroli V. solennem, ex observantia Imperii de potestate fœdera pangendi participasse, tum Leges, tum & exempla docent. vid. Dn. Schweder *Jur. Publ. part. spec. sect. 1. cap. 27. §. 6.* Illa tamen differentia fuit, quod à tempore Capitulationum Caroli V. *art. 7.* Ferdinandi I. *art. 6.* Maximiliani II. *art. 4.* Rudolphi II. *art. 6.* Ferdinandi II. & III. *art. 4. & 7.* solius Collegii Electoralis consensus hoc casu duntaxat necessarius fuerit. *Instrumento autem Pacis all. art. 8.* tum & *Capitulationibus Leopoldi & Josephi art. 10.* omnium Statuum consensus requiratur; nisi salus & utilitas publica celeritatem requirat. Qua tamen clausula illud, quod dextra manu datum, sinistra iterum eripi, Status suboluerunt. Hinc in *monitis ad art. 7. num. 2.* desiderarunt hujus clausulæ sublationem.

S. XI.

Alterum jus Statuum fœdera pangendi, proprie nostræ considerationis est, si sc. Status vi superioritatis territorialis, atque ad conservationem suæ Civitatis, fœdera cum exteris ineunt libere, & prout regimi suo pro-

proficuum arbitrantur. Posteriori hoc modo ipse Imperator, non qua Imperator, sed qua Archidux foedera pro arbitratu suo pangere potest. Imo quilibet Statuum superioritatis capax hac potestate gaudet. Quamquam experientia testetur, foedera potentiorum cum exteris frequentiora esse, quam infirmiorum Statuum; quod ex politica philosophia Fürstenerii illustrari suo modo potest, quando ex indole ac natura negotiorum politicorum belli & pacis, *suprematum* illis tantummodo Statibus vindicatum sit, qui functiones juris gentium sustinent, h. e. extra fines terrarum & provinciarum exercitum deducunt, armis, *foederibus*, Gvarantiis & Legationibus instructi apparent. Apud omnes vero foedera pangentes instar normæ observanda est celebris hoc casu limitatio, ut sive Imperator, sive alius Status intuitu territorii sui cum exteris Principibus foedera inire velint, hoc tamen semper fieri debeat, *citra damnum Imperii, & salvo per omnia juramento Imperatori & Imperio praestito.* Occurrit hæc limitatio & restrictio in *Rec. Imp. de Anno 1529. §. und als ein Abschied. Rec. Imp. 1594. §. Handhabung des Friedens/* ac in specie in *Instrumento Pacis art. 8, §. gaudeant.*

§. XII.

Imprimis itaque nunc discutiendum venit, quid intelligatur per juramentum Imperatori & Imperio à Statibus præstitum? Nimirum notum quidem est, quod Status Provincias & territoria sua recognoscant tanquam feuda ab Imperatore & Imperio, hocque intuitu in actu investituræ solenni juramento semet obstringant, quod Imperatori & Imperio fideles sint futuri, talvis tamen juribus ipsis per superioritatem territorialem

lem acquisitis. Apparet exinde, non esse hoc juramentum mere homagiale, & uti à subditis & Vasallis nudis præstatur; sed quasi mutuam & reciprocam obligationem inferre, quod scil. Status velint Imperio uniti adherere, verum juribus acquisitis frui. Uno verbo: involvit hoc juramentum speciem fœderis inæqualis, & illa investitura non tam Statuum potestatem, quam habendi modum afficit; imo iudice Monzambano, ritus potius solennis, quam veræ collationis vim habet. Scilicet quia feuda oblata sunt, quæ sponte Status Stirpe Carolina extincta, à Conrado & successoribus agnoverunt, tanquam feuda, salva systematica Imperii forma. Nam quicquid apud fœderatos Belgas pactum Unionis Ultrajectinæ est, de quo Huberus de jure Civitat. Lib. 1. Sect. 3. c. 3. & plenius H. Grotius de Antiqu. Reipubl. Batav. hoc in nostro Imperio investitura, & juramentum feudale. Placuit enim hic modus forsitan propterea, ut eo arctiori vinculo, sæpius repetendo, coadunarentur Status, ob multitudinem ipsorum, tum & inæquales vires, alias ad systema politicum non satis apti; aut, si ob barbariem ævi istius hoc non præsumendum, dicendum est, quod vinculum hoc communis fœderis per investituram propterea electum sit, eo quod speciem unius Reipublicæ præ se ferat, quippe quam omnes eo tempore sibi imaginabantur, *conf. Supra §. 5.*

§. XIII.

Cum itaque ex dictis genuina origo potestatis Statuum Imperii oppido eluceat; non possumus assentiri Dn. Obrechtio in *Exposit. Instr. Pac. art. 8. p. 174.* quando existimat, Statum Imperii nostri Germanici novam *ideam & formam quasi recepisse post Instrumentum pacis Os-*
nabrug-

nabrugense; Itaque si de iuribus Statuum Imperii hodiernis iudicium ferre volumus, necesse esse, ut non ad antiquiora tempora, sed ad tempus Instrumenti Pacis recurramus. Huic adstipulatur alius, qui merito statuendum esse existimat, quod Principes Imperii ea tantum jura habeant, quæ *art. 8. Instr. Pac.* vel expressis verbis, vel sub vocabulo *similia* continentur. Enim vero nil novi Statibus concessum est in celebri illa Pacificatione, sed duntaxat jura pleraque superioritatis ipsis jure proprio competentia, & ab immemoriali tempore, uti in antecedentibus §. §. observatum est, possessa, propter mutuam vero renitentiam offuscata aliquantisper & denegata, claris verbis demum asserta sunt stabilitaque in Pace ista. Reliqua vero, quorum exercitium itidem ad superioritatem territorialem pertinet, voce *similium* complexi sunt paciscentes. Quod si enim cum hac explicatione textus, non jungatur historia originis Statuum potestatis, ejusque incrementi, non apparet, quomodo rite dextreque vocabulum tam late possit, & valet etiam hic suo modo, quod alias ex *L. sci-re. 17. ff. de LL.* solet occini; Nam leges (& sic etiam Instrumentum Pacis) scire; non est verba ejusdem tenere, sed vim ac potestatem.

§. XIV.

Hicse itaque instar hypothesium generalium præmissis, propius nunc ad quæstiones de foederibus Principum & Statuum cum exteris accedamus. Primaria vero, disceptatio nunc exsurgit; *An etiam Statibus potestas foederis offensivi salva sit?* Dependet autem decisio hujus rei ab alia quæstione præjudiciali, an nimirum *Sta-*

ius habeant jus belli offensivi? Nam ab hujus affirmatione vel negatione, torum foederum negotium formam suam legitimam capit. Quod si itaque evolvimus leges Imperii, deprehendimus sat clare, quod Statibus jus belli offensivi sit denegatum. In Pace Publica à Maximiliano I. sancita, de *Ann. 1548. pref. §. 1.* constituitur, quod nemo cujuscunque dignitatis aut Status sit, ullo prae-textu alteri bellum denunciaret, eum spoliaret, capiat, invadat, obsideat, aut foedus contra eundem ineat. Confirmatum hoc est in *Instrum. Pacis art. 1. §. 2. f. & art. 17. ibi.* Nulli omnino Statuum Imperii liceat, jus suum vi vel armis persequi; sed, si quid controversae, sive jam exortum sit, sive post incidit, unusquisque jure experiatur; secus faciens reus sit fractae Pacis publicae. Idem ac eodem sensu repetitum hoc est in Capitulationibus Imperatorum, in specie *Capitul. Leopoldi & Josephi art. 10.* Infirmia itaque sunt argumenta, quibus permotus Limnæus *Jur. Publ. lib. 4. cap. 8. num. 247.* & in addit. *tom. 2. ad h. l.* jus belli offensivi Statibus etiam vindicavit, cui propterea abunde satis fecit Dn. Autor *Observationis §. tom. IV. Observationum Hallensium.*

§. XV.

Neque tamen propterea, quod Limnæi argumentis satisfactum est, omnis difficultas superata est. Ostendunt enim notæ succinctæ quidem, sed nervosæ, ac ex ipsis rerum argumentis petitæ, ad *Observationem 30. tom. VI.* hæud dubie ejusdem, cum præcedente allegata Autoris, concedi posse, Legibus Imperii fundamentalibus Statibus jus belli offensivi denegatum esse; verum observantiam Imperii tollere posse leges scriptas observantiam contrariam prohibentes; experi-

C 2

entiam

entiam testari, plerosque Status Imperii præter jus belli defensivi, quod in legibus concessum est, uti etiam jure belli offensivi, (ex justa videlicet causa) licet ibi id sit vetitum. Equidem quod ad experientiam bellorum offensivorum, & huc pertinentium foederum attinet, nemo illam inficiabitur, qui gnarus est historiarum Germanicarum, vel duntaxat à temporibus Reformationis. An vero recte & jure hoc fecerint Status, in eo paucos forsan assentientes habebimus, quia leges Imperii obstant. Videbimus nunc itaque premendo vestigia, Notarum adductarum, qua ratione Statuum bella offensiva defendi queant. Potissimam rationem legum per observantiam in hoc puncto sublatarum collocamus in eo; quod injunctum sit illis legibus, ut offensus debeat causas suas debito modo in judiciis Imperii ventilare. Ast per nævos Status Imperii manifestissimos lites factæ sunt immortales in Dicasteriis; hinc idem est in effectu intuitu Statuum potentum, ac si judicia cessent, ubi vero judicia cessant, ibi licet etiam bello offensivo vindicare injuriam illatam. Audax, inquis, assertum est. Sufficit vero illud in sana ratione fundatum esse. Qui degunt in Statu naturali, illis defensionem propriam inculcat tenerrimus affectus semet conservandi. Add. Puffendorff, *de jure Nat. & Gent. Lib. 2. c. 5. §. 7.* Principes absoluti vivunt in Statu naturali, si inter se comparentur, & si ipsis cum aliis ejusdem conditionis lites intercedant. Principes vero qui per pacta semet invicem obstrinxerunt, quod ab offensione injuriarum vel persequendi juris propria autoritate instituenda abstinere, & causas suas subicere ex communi beneplacito institutis tribunalibus velint, obstricti sunt iisdem,

iisdem, quamdiu iuste & rationabiliter iustitia admini-
 strari potest. Si hæc ob communes nævos notorie ces-
 set, reviviscit naturalis libertas propriæ defensionis,
 qua & uti in civitatibus subditis licet in casu inopina-
 tæ offensionis, & ubi magistratus auxilium deficit,
 conf. Puffendorff. l. c. §. 4. Consentit etiam eatenus ill.
 Dn. Coccejus *Jurispr. publ. cap. 23. §. 29.* quod armis locus
 detur, si iudicis iustitiæque obtinendæ copia non sit.
 Ast quia in Imperio intuitu potentiorum Statuum exitus
 causæ sperari non potest, idem est ac si iustitiæ ob-
 tinendæ modo pacifico copia non detur. Enim vero
 ni fallor, nullum iudicium, & iudicium effectu carens,
 in rebus politicis pro synonymis habentur.

§. XVI.

Sed instas: Grande postulatum est, quod lites po-
 tentiorum Statuum exitum in iudiciis habere non pos-
 sint. Sunt sapientissimæ leges hoc casu constitutæ:
 Camera vel iudicium Aulicum sententiam fert; si con-
 demnatus huic parere refragetur, Banno feriendus est,
 executio Circulo, in quo bona ejus sita, committenda,
 aut si hic non sufficiat, proximi Circuli vires adjungen-
 dæ sunt. Clamant hoc omnes leges, & in specie Or-
 dinatio Cameralis. Ita est. Clamant omnes leges sen-
 tentias earumque executionem; sed praxis reclamat.
 Equidem si res sit cum modicæ potentiæ oppido, v. c.
 Donawerda, iustitiæ & autoritatis sententiæ judicialis
 affatim; Si vero lis de totis Ducatibus, v. c. Julia-
 censi, Saxo-Lauenburgensi, inter potentes Status,
 quis in illa causa vidit sententiam Judicalem, aut si la-
 ta est, quando innotuit de executione, licet duo secula
 ab initio litis in primo exemplo effluerint. Quis præ-
 terea

Ita Christoph.
 // Thomasi
 // raticinaba-
 tur.

terea non videt, Statum Imperii, etiam ab illis temporibus, ubi leges prohibitivæ de bello offensivo latae sunt, fuisse talem, ut potens contra potentem Principem rationabilem justitiæ administrationem, h. e. cum effectu, sperare non potuerit. Quis itaque sibi persuadere possit, quod efficaciter sine rationabili administratione justitiæ, bella offensiva inter Status prohibere leges Imperii potuerint?

§. XVII.

Parum itaque abest, quin illi jus belli offensivi Statibus nolentes volentes adscribantur, ob dicta in §. *prac. 25. in fin.* qui concedunt, non esse negandum, inter natos, qui Rempublicam nostram deformem reddunt, non minimum esse, quod lites in illa Statuum sint immortales, & quod contra potentem Statum judicia & sententiæ non possint semper tuto per executionem ad finem perducere. Imo hoc est, quod fere agnoscit prudentissimus Forstnerus in *Epistola ad Bar. B. de Statu Germaniæ*, hac in parte ita judicans: *Bonas sed vanas sine auxilio leges, malos mores lites ac controversias, que judiciis habebantur, armis vindicatas, elusam denique potentia rerum judicatarum vim & autoritatem quis tangat?* Imo vero quis tangat & suscipiet bella Statuum offensiva tollere, cum ipsæ leges permittendo defensivum bellum, tacite simul media suppeditent, dispositiones & prohibitiones legum eludendi, de qua re *infra §. 23.* fusius agendi occasio erit. Sed, inquis, si Caput illud Pacis publicæ de bello offensivo prohibito, hodie amplius non observatur, nec observari juris est, cur illud in recentioribus legibus v. c. Instrumento Pacis & Capitulationibus repetitur? Equidem cum delicata quæstio sit, placet

cet hic aliorum rationes adducere. Nam qui paulo
 liberius philosophantur, existimant, non semper leges
 Imperii ad Statum Imperii quadrare, & sic circa vete- *Pulcre,*
 rum prudentiam legislatoriam haud pauca desiderari
 posse, hocque multis exemplis comprobare non diffi- *Bene,*
 cile esse: Alii existimant, haec prohibitiones cum ra-
 tione Status Ordinum potentiorum bene consistere
 posse; hinc studio legibus novioribus inferi capita legum
 veterum, licet suprematus multa immutaverit. Po-
 tentiores enim æquo animo has prohibitiones belli of-
 fensivi pati & perferre possunt; dum casu obviente *Belle.*
 fusque deque habeant hoc, si viribus nixi sint. Interim
 inserviunt hæc Constitutiones terrendis infirmioribus,
 ut non via facti contra ipsos, aut etiam æque infirmum
 procedant, sed via juris, atque sic quieti Imperii saltim
 intuitu infirmiorum prospiciatur. Nam quod supra
 diximus de cessantibus judiciis inter nostros Principes,
 expresse ad Principes suprematu gaudentes restri-
 ctum est.

§. XVIII.

Hactenus itaque solliciti fuimus de casu, si dubia
 sint jura Principis, quæ contra alium ex Constatibus
 suis prætendit, quod tunc ob deficientem justam causæ
 cognitionem, adjudicationem & promptam executionem,
 locus sit bello offensivo, & consequenter etiam
 fœderibus offensivis. Nemo enim bello jura sua vin-
 dicaturus tantis opibus pollet, aut in iis tantam spem
 temere collocabit, ut citra omne sociorum fœderato-
 rumque auxilium illud sit suscepturus. Nam post vul-
 neratam causam demum opem aliorum circumspice-
 re, fœderibusque promovere, parum cauti & sapientis
 esset;

esset; nec hoc quidem præsumendum est de prudentia politica, quæ in Aulis primariam & fere unicam sedem constituit. Verum restat nunc alterum caput excutiendum; An scilicet & *Status bellum fœdusque offensivum cum extraneo adversus extraneum pangere possint, sui juris persequendi causa?* Negant hoc perinde plerique & in specie Justus Synold. cognomento Schütz *Jur. Publ. Vol. 2. Exerc. 10. tb. 3. lit. c.* hisce verbis: *Si bello Imperii membra offendere sub pœna fractæ Pacis Publicæ prohibitum est, ergo multo magis in externos arma invadendo convertere non licebit.* Verum ex modo allatis elucescit, quid de hoc ratiocinio sentiendum sit. Nimirum concludit à bello offensivo prohibito contra Constatum, ad bellum offensivum contra extraneum; quæ omnia corrumpunt mox, si bellum offensivum contra Constatum in casu dubii juris ex observantia Imperiali licitum nec injustum asseratur; uti in præcedentibus evictum hoc est.

§. XIX.

Præterea, posito, omne bellum offensivum esse injustum contra alios Status Imperii, tamen non rite ac legitime ad prohibitionem contra extraneum inferri possit. Nam priori casu bellum (quod ex nostra hypothese *socialis* vocari possit) propterea exulare deberet, quia per modum judiciorum ex communi bene placito res pacifico modo terminanda esset inter Status Imperii asseruimus, bellum offensivum Statuum, quia rationabilis dijudicatio intuitu potentiorum Statuum cessat, & sic res devolvatur ad Statum naturalem. E contrario si omnia bene hoc casu circa Judicia Imperii se

se haberent, & exitus causarum rationabilis & pacificus expectari posset, sicque cessaret inter Status omne bellum offensivum; tamen, si contra extraneum jus suum persequi vellent, ille judiciorum Imperii jurisdictionem non agniturus esset; & vel ex hoc capite diversitas foret, nullumque aliud superesset remedium, quam bellum. Quid enim, si Status laceffitus ejusmodi injuriis ab extraneo Principe sit, quæ justam gentium jure bello incipiendo causam præbent, nondum tamen bellum sunt actu, an Status viribus propriis tum & fœderatorum fretus & pollens, ut ab illarum propulsione quiescat, illasque placide concoquat, rationabiliter ab ipso exigere poterit? Minime gentium, inquis; sed implorata Cæsaris Imperii ope, jus quisque suum publico consilio, & si opus est Reipubl. armis persequi debet. Splendidum consilium, sed teste experientia, re atq; auxilio vacuum! Audiamus verba in laudata *Observatione* 8. §. 16. *Auxilium forte Imperatoris in tam subita & grassante peste expectabis? Atquam lentum illud? quam sepe invalidum & frustraneum, postquam desitum est chartaceis mandatis promte obsequi? Novimus, quam beati sint possessores apud nos, qui potentia sua freti, resistere aliquantulum & declinare leniter Imperia possunt: Antequam enim Respub. quod necesse est, bellum totis viribus suscipiat, jam seculum est; adeoque alter injuriis hostium & lentore auxiliorum diu fatigatus plerumque tandem vel dissimulare rem, vel de lite transigere cogitur; quod nunquam absque insigni suo detrimento fieri potest.* Fateor, hæc verba allegata esse in defensionem bellorum defensorum Statuum; sed perpendat quilibet, annon vera & ingenua hæc confessio everdat simul illud prætensum jus de imploranda Cæsaris &

D

Im-

Imperii ope contra extraneum.² Quod si enim lentum fit auxilium Cæsaris, sæpe etiam invalidum & frustra-
neum, postquam desitum est chartaceis mandatis, (vel
ad externos frigidis legationibus) morem gerere: Si
antequam Imperium, quod necesse est, bellum totis vi-
ribus suscipiat, jam seculum est: quis quæso, Statibus
belli offensi jus contra extraneum Principem dene-
gabit, & contra ipsum jubebit spem ponere in charta-
ceis mandatis, aut auxilio post seculum demum feren-
do.² Hoc inrerim inficiari non cupio, quod vicini istius
Principis invadentis haud raro involvantur hisce liti-
giis; sed Princeps, qui suo jure utitur, nemini facit in-
juriam, si alter per accidens lædatur; nec vicini aliud
remedium superest, quam ut in tempore aliis remediis
politicis huic malo, obviam eant.

§. XX.

Quamquam itaque libertatem foederum offensi-
vorum cum exteris contra Constatum, asseruimus; at-
tamen non ita extensam hanc potestatem cupimus; ut
plane nullis limitibus inclusa sit; quin potius *supra*
præsupposuimus dubium jus Principis, quod vindica-
tum it in ejusmodi bello sociali; hinc bellum evidentrer
causal. *in* injustum, ad quod rationes & prætenfiones dudum se-
mud allab² pultæ memoria temporum, & ab Evandri Matre arces-
an; *Man* suntur, exclusum cupimus, una cum foederibus cum
attaquin² extraneis, in quæ propterea coitur. Deinde foederibus
extraneo Principe renunciandum esse Statui, ne-
aus zu nosp² xus cum Imperio demonstrat, si totum Imperium mo-
aus pflagum² dum indixit. Nam cum hoste declarato Imperii bel-
i. e. mit *gn* foederum vinculo sociatum velle persistere, commune
elall *der* haffum *fing* zu *finnem* *Inve* denegato *Sub* illud
fom, od *e* *aus* |: *min* *Frideric* *7* *1750* *p.* |: *Son* *finem*; *der*
aus *Son* *point* *ist* *hospiz* *pflagum*, *praevenirum*. *Und*
finis *ununt* *der* *st.* *min* *iustum* *bellum* *offensivum*. *Und*
and *e* *aus* *fom* *soll* *aus* *mit* *unter* *der* *Bella* *defen*

illud fœdus, quod inter Status intuitu Imperii est, & per solennes formulas juramentorum in Investituræ Actu coram Imperatore confirmatur, ac à novo successore territorii repetitur, non permittit. Atque ita intelligo clausulas legum publicarum, quæ Statuum fœderibus ibi permissis adjiciuntur: Salvo per omnia juramento, Imperio Imperatorique præstito. *conf. supra* §. 12.

§. XXI.

Atque hæc sunt, quæ concernunt jura Statuum intuitu fœderum offensivorum, prout quidem præfens Status Imperii faciem præ sefert. In quantum vero Status, maxime potentiores, (nam apud infirmiores vix casus dabilis videtur) hoc suo jure uti, aut quousque remittere aliquid de illo debeant, ne Imperium, & interdum propria territoria periculis & subversionibus exponant; altioris indaginis est, & ad consilia arcana, sanctioraque cujusvis Status casibus obvenientibus pertinet. Nam privatorum est jus, h. e. Leges & consuetudines Statum Imperii nostri publicum attingentes theoretice explicare, & (si possint) monita quoque prudentiæ ususque Politici seorsum; in usu tamen & applicatione quæ Statuum est propria, neutra quæstio ab altera divelli potest aut debet, nec jus à prudentia. *conf. Dn. Schilter Diss. de Origine jur. Publ. S. 3.* Nec displicet nobis in totum judicium cordatiorum Germanorum in præsentibus Comitibus super fœderibus diversorum Principum Germaniæ circa annum 1675. prolatum, referente B. L. Bar. à Puffendorff. *Histor. Fridericæ Wilhelmi M. Lib. 13. S. 16.* *Speciosum, inquit, sane id jus fœderum, & magnificum, & in quo præcipuum libertatis*

*serva. Neque enim offendit, aut læspicido per il-
quæquam; sed saltem me meumque ius perse-
et defendo. In Verbis Simus faciles! Cont. quoq;
h. § 23. § 29. 39.*

*specimen resideat; sed ex quo demum totius Imperii exitium
proventurum sit, si Ordines ita proterve eodem abutantur, nec
quævis fœdera accurate totius Imperii rationibus attemperent.
Quid enim spei superesset, salvam fore patriam, si validissimis
Ordinum integrum sit, iis Regibus, quæ in enervanda &
subruenda Germania consiliorum summa vertitur, fœdere se
innectere, ex quibus vel vires illis sociare, vel saltem quiescere
teneantur, dum quam maxime decretum bellum adversus
istos geritur? quos meminisse decebat, ab exteris illis, quibus
quid blandiantur, non aliud ipsis beneficium manere, quam
ut reliquis oppressis eandem postremo sortem subeant.*

§. XXII.

Enim vero uti illa, quæ de Statuum fœdere, aut etiam neutralitate afferuntur, si quando ex communi consensu contra extraneum bellum geritur, bene se habent, ac modo improbata sint; ita, nescio an ad protervum abusum semper referendum sit, si non quævis fœdera accurate totius Imperii rationibus attemperent Ordines? Sane in tanta laxitate vinculi communis, & ubi vicissim rationes Imperii totius non exacte attemperatæ sunt Statuum rationibus, conservationem, & si fieri potest, augmentum Reipublicæ suæ intenduntibus; durum videtur, quod illi soli inter mortales communem naturam exuere, nec ordinatæ charitati, quæ incipit à se ipsa, debeant studere; præsertim, cum apud dissentientes in confesso sit, quod Provincias reali suoque jure possideant, & subditis suis ad defensionem reciproca promissione obligentur. Equidem optandum esset, ut eo loco res ac forma regiminis Imperii staret, quo cuius Statui & plena securitas foret contra exterrorum injurias, & litigia Statuum inter se juste promp-
atque

atque rationabiliter determinari possent modo pacifico; Sic enim nec fœderibus offensivis, nec defensivis illis opus foret, & ex communi beneplacito iis interdici optimo jure possent. : Verum an Germania tanta felicitate aliquando sit usura, conservata forma ac Statu, quo gaudet præsentis de eo vix spes superest. conf. Dn. Præsid. *Intr. ad jus publ. Diff. XII. §. 19. - 22.* Boni interim Civis officium est, meliora optare, præsentis tamen nævos Status non dissimulare, sed potius indicare, qualicumque vero Statu & forma Regiminis contentum esse. Meminit cum Tacito *4. Hist. 8.* temporum quibus natus est, quam Civitatis formam patres avique instituerint, ulteriora miratur, præsentia sequitur, bonos Principes voto expetit, qualescumque tolerat.

§. XXIII.

Transeundum vero nunc est ad fœdera Statuum defensivæ, quippe quæ, uti ipsa bella defensiva, Statibus in Legibus esse indulta, apud omnes Publicitas inconfesso est. Expresse enim in *Instrumento P. O. art. d. 8.* fancitum est, quod Status debeant jus habere in fœdera cum Civibus & cum exteris coire, *pro sua cujusque conservatione ac securitate*; Quod sigillatim in *Capitulatione Sereniss. R. R. Josephi art. 10.* ita expressum est: *So viel aber die Stände des Reichs in gemein belanget / soll denselben allen und jeden das Recht der Verbündniß unter sich / und mit auswärtigen / zu ihrer defension, conservation, Sicherheit und Wohlfahrt zu machen dergestalt frey bleiben &c.* dum itaque evidentem hanc LL. publ. dispositionem considero, novum mihi suboritur argumentum, unde liquido demonstrari potest, fere litem de verbis esse, si Statibus bellum offensivum eoque

7 ad def. sup.
820. in max
gine Not.

pertinentia foedera denegas, vicissim vero bella foederaque defensiva concedas. Nimirum Leges Imperii adeo clare potestatem foederum & belli defensivi Statibus concedendo, eo ipso & bellum offensivum iis haud denegant, dum Status hoc posteriori casu haud valide convinci possunt, peccasse suis bellis contra leges. Nisi enim Statuum bellum plane injustum sit, & alterum quietum citra causam armis persequatur, de quibus manifestè injustis bellis offensivis conferantur. Grotius de J. B. & P. Lib. 2. cap. 22. & Puffendorff. de J. N. & G. Lib. 8. cap. 6. §. 5. non deerunt argumenta probabilia, (uti scientia rerum moralium omnis est) & summe verisimilia, bella, quæ geruntur, semper pro defensivis venditare. Imo quod Status hoc pallio se texerint, fidem faciunt verba emphatica alias in hoc passu dissentientis Schützii Jur. Publ. Vol. 2. Diss. X. §. 3. *In omnibus fere bellis ejusmodi utriusque partis, licita defensionis, & pacis publicæ assertionis, & conservationis colorem causa sua quassasse, historiarum atque publicæ testari monumenta, quibus nullum fertilius seculum reperitur, ac hoc nostrum.* Adjicit Dn. Autor sapius laudatæ *Observationis 31. tom. VI. postquam hæc verba ex Schützio recensuisset: Certe causa Wildfangiatus dedit hujus tragædiæ testimonium. Quod sc. utraque belligerantium pars bellum defensivum conservationemque jurium suorum præfenderit. Nec fieri in rebus politicis & humanis negotiis potest, ut bello defensivo semel permisso, pax publica legibus sancta conservari potuit. Quis enim arbiter erit & Judex, qui in casibus obvenientibus bella offensiva à defensivis plene solideque discernere possit? Usus perpetuus, inquit Dn. Autor Observationis VIII. Tom. IV. Observ.* Hall.

Cf. sup. pag. 26. // In marg. Not.

Hall. §. 5. duorum plus seculorum ostendit, quoties in Imperio inter Status tumultuatum est, & ad arma res venit, utramque partem id unice egisse, ut conquisitis undique argumentis fidem faceret necessaria defensionis, & expediunda salutis causa, non in ullius hominis offensionem, sed ad vindicandas injurias arma à se sumta esse. Et paulo post: ita hoc seculo Unionis socii, ita & illi qui Liga nomen dederunt, ita inquam; quotquot intra ducentos & amplius annos factiones & motus excivere, incepta sua hac defensionis necessitate excusare ac velare quaesiverunt. conferatur & sequi §. 6. ut & Schütz. Vol. 2. Diff. 10. §. 3. Quanquam vero illa verba contrariæ sententiæ ibi asserendæ inserviant; tamen eatenus pro nobis militans, quod concessio semel Statibus bello defensivo, simul & offensivum concessum esse videatur; quia difficillimum, imo moraliter fere impossibile sit, quod unum ab altero secerni possit, dum vel ipsius Ligæ ac Unionis, ut & belli ob Wildfangiarum in Palatinatu exemplo hoc clarum est; quia utraq; pars non sine verisimilitudine, scædus suum defensivum esse, aliis persvadere annexa sit, donec negotium interventu Gallorum Svecorumque per *Laudum Heilbrunnense* tandem amicabiliter componeretur.

§. XXIV.

Cum itaque cum rebus & negotiis hujus generis ita comparatum sit, ut alia ac alia iis facies variis schematibus ac figuris conciliari possit, quis, quæso, liquido demonstrabit, hujus esse bellum offensivum, alterius vero bellum defensivum? cum unusquisque certantium captandæ popularis auræ gratia defensionem sui prætexat, ac sic difficultatem in dijudicando bello offensivo sponte cogantur fateri ipsi dissentientes. Nec hanc

hanc difficultatem tollit, quod in universum verum fit, illum, qui bellum primus intulit atque infert, offensivum gerere, alterum vero qui illatum excipit, & contra tendit in Statu defensorio esse, atque sic maneat essentialis & verus belli offensivi character invasio seu illatio belli. Nam nec hæc sententia tuis caret difficultatibus. Illi enim, qui notam characteristicam belli offensivi constituunt in prima invasione & activa illatione armorum; tamen haud dubie concedent cum Puffendorffio de J. N. & G. all. lib. 8. c. 6. §. 3. quod & favor defensionis ab illius partibus stet, qui prior arma alteri infert:

Putat si quis subinde repentinis & vagis incursum fuerit vexatus, refugio ad ipsius adventum hoste; aut si quis hostem invasionis jam certum, per celeritatem oppresserit, dum ille in-
1756 adu- *apparando bello adhuc est occupatus.* Jam vero quilibet negotiorum politicorum peritus perpendat, si lis inter duos potentes Status sit, & alter alteri bellum intulit, an verisimilis ratio ipsi deesse possit, bellum suum pro defensivo venditare, hostem quippe invasionis certum prævenire cupiens, quod, ex concessis, salvo bello defensivo fieri potest.

§. XXV.

Equidem prævideo reclamantes, certitudinem hostilis propositi requiri, non conjecturas aut vanum metum; ex hoc enim si quis ad bellum temere provolare velit, illum apud alios populos fidem vix facturum esse, adornatæ necessariæ defensionis. Verum & hoc dubio rite perpenso, non possum tamen adduci, ut sententiam propositam deseram. Quoniam enim in moralibus non possumus ad tantum certitudinis evidentissimæ gradum pervenire, qui in mathematicis conspici-

spicitur disciplinis, quis inter potentes litigantes, ubi arma alter alteri intulit, liquido negabit, inferentem arma nullam justam metuendi causam habuisse, sicque præventionis beneficiis abstinere debuisse? Quis enim non præfumat, potentem adversarium, ob dubium litis eventum, viam juris quam facti ad rem litigiosam consequendam, si occasio ferat, potius electurum esse? Equidem concedimus Puffendorffio *l. c. §. 2.* quod metus ex vicini potentia, citra certitudinem moraliter evidentem, quod potentior nobis nocere velit, non sufficiat adjutam belli offensivi causam. Verum differentia est inter potentem, cum quo hætenus nullæ lites extiterunt, & inter Principem, cum quo jam lites intercedunt. De posteriori semper, ob naturam & communem indolem genii humani, præsumtio est, rem, de quo litigat, etiam data occasione hostili vi acquirere moliturum esse; itaque si alter litigantium præveniat, prior arma inferat, nihilominus bellum hoc defensivum erit, per concessa Puffendorffii verba, cum natura rei convenientia. At vero hoc Statibus per leges publicas est indultum. Ergo quomodocunquæ tandem isthæc negotia examinentur, semper res eo redit, ut inferens arma plausibili & favorabili & permisso bello defensivo semet defendere queat.

§. XXVI.

Unde apparet, in Pacificatione Pacis Osna-brugensis Statuum Imperii juri ac potestati circa libertatem fœderum cum exteris abunde prospectum fuisse, dum iis clare & expresse potestas fœderum defensorum indulta est in sæpius allegato *art. 8. Instr. P.* quod postea in Capitulationibus, in specie Leopoldi &

E

Jose-

Iosephi *art. 6. & 10.* repetitum est. Non alia enim peti-
 tio Ordinum erat, attestantibus documentis publicis
 apud Lundorpium *Act. Publ. tom. 5. p. 1075.* quam ut jus
 foederum defensorum ipsis concederetur. Hoc enim
 obtento facillime perspiciebant, ipsis vix ac ne vix qui-
 dem foedera offensiva dubia controversaque reddi pos-
 se. Gravis vero nunc restat scrupulus evellendus, an-
 non scilicet potestas foederum defensorum Statibus
 in tabulis publicis ita concessa sit, ut non excludatur
 praescientia & consensus Imperii, aut ad minimum Im-
 peratoris? Hoc enim haud pauci asserunt; potissimum
 ex hac ratione, quod ipsum Caput Imperii, Imperator,
 in - aut extra Imperium inire foedera vi legis Regiae
 Germanorum, sive Capitulationis, non possit sine ex-
 presso consensu Electorum, si res moram non ferat, &
 omnium Statuum, si periculum in mora non sit, *conf.*
supra §. X. Unde plus licentiae hoc passu largiri velle Sta-
 tibus, quam Caesari, absurdum fore. Atque huc colli-
 gent Caesarei Legati apud Puffendorffium *Lib. 18. Rev.*
Svecic. §. 25. Par discursus nonnullorum in Comitibus
 deprehenditur apud eundem *Lib. II. Rev. Brand. §. 39. ad*
Ann. 1672. Verum qui secum perpenderit, quod ejus-
 modi discursuum a Legatis habitorum scopus unicus
 fere esse soleat utilitas & interesse Dominorum suorum,
 & hinc ab ipsis omnia, plana & dubia, artificio oratorio
 arripiantur, quo aliis illud, quod cupiunt, persvadeant;
 illi fortasse & in adductis illis ratiociniis nervum con-
 cludendi desiderabunt. Equidem fatendum est, quod
 Imperator nequidem foedera defensiva inire possit sine
 Ordinum suffragiis & consensu; Ast propterea interri-
 non potest, ergo nec Status pro sua defensione in foede-
 ra re-

ra recte cœunt sine præcitu Imperatoris. De priori casu leges expresse faciunt, de posteriori silent. Accedit, quod Imperatoris fœdera majoris præjudicii ac momenti sint, quam Statuum. Imperator enim hoc casu fœdus contrahit nomine totius Imperii, illudque obligationi vi fœderis subjicit. Ergo Statuum maxime interest, ne ignari insciique aut inviti obligentur. Contra vero Status hoc casu nomine proprio fœdus contrahunt pro se & subditis ac provinciis suis, nec propterea reliqui Constatu aliquid obligationis contrahunt.

§. XXVII.

Quoniam itaque diversa sint isthæc fœdera; sicque diversam ratione consensus decisionem accipiant; novum tamen dubium, quo consensus Imperatoris stabiliri possit, producit Dn. Obrecht *in Comm. ad Instr. P. p. 129.* Putat nimirum, quia Imperii Statibus non absolute licet fœdera pangere, dum Imperator & Imperium excipiuntur, inde fluere, quod utique illorum consensus requirendus sit; quia nemo judicare valeat, an talia fœdera contra Imperatorem & Imperium sint, quam Imperator & Status. Magni momenti consequentia; quæ si valida esset, valde arctis limitibus potestas Statuum circa fœdera includenda esset. Præter alia vero, quæ regeri possent, placet excutere formulam: *Contra Imperatorem & Imperium.* Supra vero diximus, quod hæc in hisce legibus non alium sensum admittat, quam quod fœdus cum hoste ab Imperio solenniter declarato non possit à singulis Statibus contrahi; aut, si tanquam cum amico Imperii contractum, tamen inimico declarato postea abruptum sit.

conf. §. XX. Concedimus itaque hoc casu, si quis Statuum cum hoste Imperii declarato foedus inire vellet, cognitionem Imperatoris & Imperii requiri; imo non opus tunc cognitione, quia res clara esset, quod tale foedus pugnaret cum pactis publicis.

§. XXVIII.

Quo vero eo magis manifestum fiat, Status ab immemoriali tempore, suo jure foedera cum exteris inivisse liberrime, & citra consensum Imperatoris Imperiique; non praeter rem erit, nonnulla indubia exempla proferre. Non exiguum vero numerum foederum Principum Germaniae sistit nobis Manifestum, quod Galli ediderunt pro Philippo Christophoro, Electore ac Archi-Præsule Trevirensi, quibus Ipsi & aliis Principibus jus foederum assertum ibant. Titulus Manifesti, prout excerpta in lingua Gallica adducit Cæsar. Fürstenerius *de suprem. & legat. Princ. Germ. cap. 61. pag. 315.* est sequentis tenoris: *Justification du procédé de l'Electeur de Trèves, & quelle est la liberté des Electeurs de l'Empire, & autres Princes d'Allemagne, de faire des Traitez & Alliances avec tous les Princes de la Chretieneté.* Unde nunc, quæ nostro scopo inserviunt, adducemus. (I.) Foedus est Archiducis Leopoldi, factum Ann. Ch. 1342. cum Rege Franciæ Carolo pulchro, vi cuius promittit Regi, quod omnibus viribus id sit elaboraturus, quo ipse in Regem Romanorum eligatur, ut Archi-Dux post ipsum possit promoveri ad Imperium. Quæ contenta satis demonstrant, si Leopoldus consensu Imperatoris & Imperii opus habuisset, illum non imperatum fuisse; sicque ob defectum ejus non potuisse foedus inire, cum tamen initum sit. (II.) Ann. 1430. Fredericus

dericus Dux Auftriæ in tabulis fœderis stipulatur cum Carolo VII. Rege Galliæ, matrimonium filii sui Sigismundi cum Radegonda filia Regis, & simul promittit arma inferre Burgundo & Anglis in gratiam Gallorum. (III.) Ann. 1338. Albertus & Ottho Fratres & Archi-Duces Auftriæ, facto fœdere cum Philippo Valesio Rege Galliæ, ipsi promittunt auxilium contra omnes ejus hostes, *excepto S. Rom. Imperio.* (IV.) Albert, Dux Baviariæ, inito pacto 1337. cum Carolo V. Rege Franciæ, Mariam ipsius filiam Filio suo Gvilielmo in conubium impetrat, simulque pro se & descendantibus auxilium contra hostes Galliæ promittit.

§. XXIX.

Ex hisce exemplis, puto, elucescit abunde libertas Statuum omnimoda circa fœdera cum exteris. Transseamus vero nunc ad illa, quæ mox post Reformationem acciderunt, ubi magis magisque Statuum libertas incrementa cœpit. Celebre fuit eo tempore, scilicet Anno 1532. Fœdus quod Elector Saxonix, Dux Baviariæ, Landgravius Hassiæ, & alii protestantes faciebant pro conservatione libertatis & jurium Imperii cum Francisco I. contra electionem ~~et~~ ipsis obrudendam Regis Romani Ferdinandi I. ubi manifesta est ratio Autoris Manifesti: *On ne peut pas s'imaginer, que l'Empereur eut donné son consentement à ce Traité de ligue et à ces oppositions.* In fœdere 1610. inter Regem Gallicæ Henricum M. Electores Brandenburgicum Palatinum, & alias Principes, expresse cautum, quod velint in unione persistere, *sans avoir, ut loquitur autor Gallicus, égard à aucun mandement, ou Ban, qui puisse venir de la part de l'Empereur.* Eo etiam collimant tractatus fœderis

foederis inter Regem Angliæ & nonnullos Principes Germaniæ initi 1612. ad conservationem nimirum Ducatum Cliviæ, Juliæ & Montium; item foedus nonnullo-
 rum Principum cum Belgis foederatis subsequenti An. 1613. *En ce Traité, inquit memoratus Autor, il est parlé de l'Empire comme de la France, de l'Angleterre & du College Electoral; mais il n'est point fait mention de l'Empire, en sorte que ces Princes crussent avoir besoin de l'Autorité de l'Empereur, pour rendre leur Traité valable.* Præter hæc adducta exempla, cum legibus, autoritatem consensumque Cæsaris & Imperii circa foedera Statuum defensiva non
 requirantibus, bene conspirantia, plura facile possent ex recentioribus adduci; cum vel solus illustris Puffendorffius in Commentario de Rebus gestis Friderici Wilhelmi M. plura foedera adducat, quæ à Sereniss. ac Potentiss. Friderico Wilhelmo cum ipso Imperatore Leopoldo, Hispaniæ, Angliæ, Daniæ, Poloniæ Regibus, Belgio foederato, aliisque extraneis Principibus, inita sunt, & partim etiam adhuc durant, aut renovata sunt a gloriosissimo ejus successore in Electoratu Friderico, nunc potentissimo Rege Borussiae. Cui vero volupe est, ipsum tenorem foederum perspicendi, is adeat Tractatum Gallicum cujus titulus est; *Récueil des Traitez de Paix, de Treue, de Confédération, de Alliance &c. à Amsterdam & à la Haye 1700. Tom. 4.* Ubi ordine & juxta seriem annorum Copiæ foederum Principum Germanicorum, inprimis Brandenburgicorum, Saxoniorum, Luneburgicorum cum Gallis, Anglis, Suecis, Danis, Hollandis aliisque, adducuntur.

§. XXX.

Unde nunc facile dijudicare possumus, an famosum

sum illud *fœdus Schmalcaldium* inter Protestantes in defensionem Religionis Evangelicæ in præsentia Legatorum Anglicorum superioribus seculis 1535. initum, vid. Schleidan. *de Stat. Relig. lib. 9.* potuerit ex hoc capite jure impugnari ab Imperatore Carolo V. quia, scil. ipso inscio & non approbante factum fuisset. Quippe quod Status suo jure facere poterant, multis exemplis & observantia Imperii id comprobantibus. Restat vero gravior dubitatio, *an contra Imperatorem & Imperium talia fœdera & bella recte jureque moliti sint Evangelici?* Sane enim si unquam quæstio in utramque partem ventilata anxieque deliberata est; fuit ista illo tempore, an liceret contra Imperatorem fœdera inire? Prius enim, quam iniretur istud fœdus, in consilium adhibiti fuerunt non JCI modo, sed & (ut Status illius ævi ferebat) Theologi. Rationes eorum passim adduxit Hortlederus in ipso opere *Von Ursachen des Teutschen Krieges* / quorum plerique fœdus & bellum approbarunt, quamvis rationibus non semper idoneis, aut concludentibus; Conferatur etiam ejusdem Hortlederi Dissertationum biga pro bello fœderatorum contra Carolum V. apud Melchior. Goldastum *in Politic. Imperial. Part. ult. fol. 1371. seqq.* Unicus fere *Melanchthon*, illud fœdus approbare noluit, cujus verba recenset Waremund ab Ehrenberg (alias Eberh. à Weihe) in *Medit. de Fœderib. p. 228.* quod tamen ceteri haud dubie pusillanimitati consuetæ ipsi in arduis negotiis adscriperunt. Quam vero illud defensum fuit à Protestantibus Germanis; tam vicissim exagitatum est ab aliis, potissimum tamen Catholicis, aut alias à Cæsaris partibus stantibus. Huc pertinent *Bodinus, Natalis*

talis Comes, Antonius Quetta, Ludovicus de Avila, Franciscus Burchardus, allegati ab Illustri Dn. Cancell. a Jehna de Ratione Status Diff. 9. concl. 2. p. 134.

§. XXXI.

Omnes vero rationes, quæ communiter pro defensione hujus foederis Statuum Schmaldici afferuntur, præter allegatos à Carpzovio *Comment. ad Legem Reg. German. Cap. 6. sect. 8.* Bernh. Zieritzio *in Discursu Apologetico pro Fœdere Schmalcaldico.* Justo. Synoldo Schützio *Jur. Publ. Vol. 2. Diff. 12. tb. 23.* Speidelio *in Notabil. Jurid-Polit. voc. Schwäbischbund.* aliisque, jam excutere non vacat; præsertim cum pleræque defensiones, lubrico fundamento innitantur, & cum Statu Monarchico Imperii, qualem sibi eo tempore firmiter imaginabantur, vix conciliari queant. Inde non mirum est, quod tradita Schützi *J. P. Vol. 2. Exerc. 10. thes. 3.* de hac re, rude ac informe chaos ex puris putidis legulisticis particulis compositum, præferant; quod adeo manifestum est, ut Commentatori ejus, febriculosa hac scientia alias perinde laboranti, inanitas traditorum Schützi suboluerit. Interim tamen verum est, quod optima decisio quoad punctum Imperii defumenda sit. Puto vero, quod hodie cordatiores non multum refragaturi sint, formam regiminis à tempore stirpis Carolinæ extinctæ, maxime ad systema inclinasse Fœderatarum Civitatum; licet illa sub involucri investituræ feudalis aliisque schematibus aliquantisper obscurata sit, & in Imperio nostro alia species, quam res, deprehendatur, prudenter hoc annotante Hubero *de Jur. Civit. lib. 1. sect. 3. cap. 3. §. 17. add.*

add. Dn. Schilterus in *Institut. Jur. publ. passim.* ut & Dn. Puffendorffii *Diff. de Systemat. Civitatum.* Fatemur itaque, ad classem Systematicarum Civitatum fœderis ⁴³ laxioris pertinere Germaniam; ita tamen, ut non confusio plurium civitatum in unam derur, sed communio sit rerum ad commune regimen defensionemque spectantium, ex pactis publicis determinanda, salva singularum Civitatum vel Sociorum potestate summa, quam in Germania sub superioritate territoriali Statuum exprimeret, à longo tempore Stylus Curiae publicus svasit. Hæc itaque superioritas territorialis Statibus salva, sub se complectitur etiam regale summum libertatis religionis, & hoc sensu admitti potest illud axioma Publicistarum, eo tempore maxime applicatum ad Status: *Dominus Regionis, est Dominus religionis. vel: cujus est regio, illius etiam est religio.* Si itaque pars illorum, quibus administratio rerum ad fœdus commune pertinentium commissa, alteram partem velit cogere in rebus extra sphaeram communis fœderis constitutis, nulla apparet ratio, quod jure hoc fieri possit, & cur non altera pars potestatem summam in Civitate sua sibi per conventiones publicas salvam conservare quocunque modo, etiam armorum propulsione, si vis intentetur, possit. Nam intuitu harum rerum etiam Civitates fœderatæ vivunt in Statu naturali, & inter se pares sunt, nec agnoscunt judicem in terris præter Deum & ensam. Quamquam vero hoc ex jure publico gentium universalis manifesti juris sit etiam in Germania, licet vel nullæ conventiones super hoc puncto extarent; tamen in gratiam illorum, qui citra expressas leges publicas aliquid asserere, piaculum ducunt, (nam & in jure pu-

blico dantur Leguleji) placet adducere textum ex *Recessu Imperii* de Ann. 1555. §. *ferner Verpflichten* &c. cujus perspicuitate motus Schützius, alias valde cespitans in ejusmodi materiis, *Jur. Publ. Vol. 2. Exerc. 10. th. 3.* nobis quadantenus adstipulatur. Nimirum promittunt sibi invicem Imperator, Rex Romanorum & Status Imperii, si aliquis horum ab altero injuste debellatur, aut offendatur, ceteros ipsi læso contra invadentem assistere auxiliumque præstare velle. Eadem decisio, licet in gratiam illorum, qui Germanici Imperii formam regiminis mixtam esse contendunt, hoc admittamus. Nam in Regno *mixto*, ubi Status de summa potestate participant, vel ubi Regnum sub conditione expressa, ne Princeps dissentientibus in Religione ullo modo vim faciat, delatum fuit, omnes actus Pactis hisce contrarii irriti sunt ac nulli. Hinc si Imperans vi id pervincere molitur, injustis armis justam defensionem Civibus opponere fas est, add. Puffendorff. *de J. N. & G. Lib. VII. Cap. 6. §. 10.* Quod, si applicetur ad Germaniam, deprehenditur, pacta inter Cæsarem Ordinesque inita hoc modo concepta esse. Nam in Capitulationibus Caroli V. *art. 33.* Leopoldi, *art. 38.* & Josephi *art. 37.* §. *ob aber diesen und andern* omnes actus Capitulationi contrarii ipso jure irriti ac nulli esse jubentur. conf. Dn. Muldeneri *Diff. de Protectione ab Imperatore Ecclesiis utriusque religionis in Germania equaliter debita p. II.* Adeoque, pergit Schützius, *si Status ab Imperatore bello invadatur*, (scilicet injusto, v. c. si velit torquere) *ceteri Statuum illum juvare & Cæsarem repellere recte poterunt, imo debent; ut jam dubium nullum esse queat, quin*

quin ipsi (Cæsari v. c. conuenta fœderis non implendo) *offenso idem juris competat.* Fatemur interim, arduam quæstionem esse præsentem, non tamen cum Schützio opus esse *l. c. lit. E.* sacrum silentii horrorem eligere malle; cum parum abesse ipsi videatur, quin profanæ sapiat improbitatis votum, si quæ hic curiosius versentur judicia anxie perquirantur. Hæc vero in thesi adducere iuvat. Nam in ejusmodi quæstionibus rite decidendis primum de jure in thesi plane pleneque constare debet; deinde ex historia fide digna facta arcescenda dextreque applicanda esse putamus. Inprimis vero perpendendum, an de vi ac injuria ab Imperatore superioritati Statuum circa punctum religionis inferenda plene indubitateque iis constiterit? an vero aliis remediis pacificis ab eo diverti potuerit? & an sic ex necessitate demum ad arma convolarint? Hæc itaque per nos licet applicare ad famosum istud fœdus Schmalcaldicum, nec tunc de justitia belligerantiû amplius quid scrupuli superesse poterit. Poterit vero factis lux accedere ex *MSS. Ratzenbergeri*, Medici Aulici Johannis Friderici Electoris Saxon. unde particularia circa Statum illius ævi haud vulgaria hauriri queunt; prout illud nunc, ni fallor, primus publicæ luci dedit, inseruitque *Heresiologia sua* Dn. Arnoldus.

§. XXXII.

Nos vero properamus ad fœdus æque celebre inter Status & cum' exteris etiam ictum, in pari fere causa Halæ Suevorum, cui *Vnionis* nomen indictum; cuius confœderati se appellarunt *die Correspondirenden und unirten König/Chur-Fürsten/Grafen und Städte.* vid. *Anbringen der unirten Gesandten bey Herzog Maximilian*

milian zu Bayern Anno 1619. apud Lundorpium *Aetorum Publicor. tom. 2.* Postea vero Lipsiæ 1631. adversus Edictum Cæsareum de *Restituendis bonis Ecclesiasticis* renovatum est hoc foedus sive Unio. conf. Meteranus *Rer. Belgic. lib. 47.* Brachel. *Hist. lib. 4.* Theatrum Europæum ad *Ann. 1631. p. 310.* Unde rem breviter contrahit Burgold ad *Instr. P. part. 1. Disc. 1.* Addantur Chemnitius & Puffendorffius *Commentariis de bello Suecico sub Gustavo Adolpho.* Acriter in hoc invehebantur Ferdinandus II. Imperator, ut & plerique ex Zelotis inter Catholicos. Christian Gottlieb de Friedberg & Christoph. de Ungersdorff appellarunt eine *Höllische Union* (alludentes scilicet ad primum locum coalitiæ Unionis) und den *Correspondenz-Tag/ einen Conjurations-Tag.* conf. laudata *Diff. IX. de Rat. Stat. concl. 2. lit. i.* Verum uti hi termini exulceratas & inficetas scribentium mentes satis prodiderunt, injuriosique fuerunt in reverentiam, quæ Principatus & Statibus semper salva manere debet, etiamsi bellum sit inter ipsos; ita merito hi vapularunt ab Autore der *Ungersdorffischen Wiederiegung.* conf. Joh. Theodor. Sprenger. *lib. 1. cap. 26.* Burgold ad *Instr. Pac. Part. 3. Disc. 2.* Cæterum ratione justificationis hujus foederis in thesi valent illa, quæ præcedenti *S.* allata; in hypothesi vero non diffiteri ausim, ab utraque parte consilia nimis acria fuisse electa, & rem in Germaniæ exitium fere erumpentem potuisse moderatione politica in herba extingui.

§. XXXIII.

Quibus ita discussis amplius obscura haud esse potest decisio sequentis Quæstionis generalis: *An Principi Imperii crimini dari possit, si ante bellum nomine Imperii Decretum,*

cretum, cum hoste alterius Principis, aut etiam Imperatoris, qua Archi-Ducis Austria, fœdus ineat ad conservandam pacem publicam, & donec Imperio aliud placuerit? Nimirum dum hæctenus plenius consideravimus atque ostendimus, quod jus fœderum defensorum & offensivorum cum exteris Statibus Imperii salvum sit; imo, quod contra ipsum Imperatorem jure iniuri queant, si ille armata manu Statuum superioritati vim inferre velit, hocque salvo juramento Imperio præstito fieri possit; Inde prono alveo fluit, nil peccati contra leges & observantiam Imperii committi, si fœdus hoc modo in-eatur; modo huic renunciatur, simulac pro hoste Imperii est declaratus. *conf. supra §§. XII. & XX.* Nec huic decisioni valde obstare potest, quod tamen cum hoste Imperatoris fœdera Statibus sint illicita. Nam Imperator duplicem respectum habet. Qua enim consideratur ut Imperator, simulque cum Imperio ad res communis regiminis Germaniæ concurrat, tunc negamus licere fœdera, si debito modo in Comitibus, extraneus hostis ipsius declaratus est. Nam simul hostis Imperii personam eo ipso induit. Si vero spectetur Imperator tanquam Princeps in suo territorio, aut tanquam Archi-Dux Austriae, ipsius hostes intuitu Provinciarum suarum, non mox hostes Imperii sunt, nec, ut cum illis commercium aut fœdus propterea ab-rumpantur, necessitas incumbit reliquis Statibus. Illustre exemplum hujus rei nobis suppeditat Dn. Autor *Observationis VIII. Tom. 3. Observat. Hallens. §. XII.* cujus verba adducere non præter rem erit; præsertim cum alias impense Imperatoris iuribus favere videatur.

Cum bello Gallico superiore tardarent Status, Gallum pro hoste

Imperii habere, atque in eum bellum decernere, illud bellum, quod Imperator fere biennio ante jam gerere coeperat ex foedere cum quibusdam Statibus inito, pro communi Imperii bello, neque à Gallo, neque ab ipsis Statibus habitum fuit, commorante interea Ratisbona in Comitibus Gallico Ministro Gravello, & munera amici in speciem obeunte, donec Anno 1674. demum migrare juberetur. Equidem fateor, posse ex bello cum Impetatore qua Principe gesto tandem bellum Imperii fieri; verum priusquam hoc fiat, effectus belli Imperii per anticipationem Status, salvis conventionibus publicis Imperii, sentire haud debent.

§. XXXIV.

Specialiora momenta, quæ sæpius variant decisiones quæstionum generalium, placet nunc intacta relinquere; v. c. annon ex regulis Politicis pro hoste in effectu habendus, qui feudum Imperii occupavit, licet nondum solenniter pro tali declaratus? Item: Annon ex ratione Status Imperii à regulis ordinariis possit recedi ob majorem salutem Imperii? & quæ sunt quæstiones similes, quarum dijudicationem lubenter & nobis prudentioribus, pleniorique notitia factorum instructis, relinquimus. Sæpius enim cum ejusmodi factis ita comparatum est, ut supra horizontem privatæ sapientiæ collocata sint; ut & hic valeat, quod de Ethnicorum Diis sapiens quidam pronunciauit; de Actis Deorum melius esse credere, quam scire. Nec minus displicere possunt cordatoribus proterva judicia illorum, qui, licet sanctioribus consiliis litigantium Statuum non interfuerint, de hujus vel illius justitia & jure armorum tanquam ex tripode judicant, ac eo ipso apud imperitiores, nescio quam, sapientiæ politicæ speciem

speciem sibi conciliare annuntur; cum interim ludi-
brium debeant notitia pleniori factorum momento-
rumque imbutis.

§. XXXV.

Cæterum à prioris quæstionis decisione dependet
hæc etiam; *an Status Imperii fœdere suo Imperatoris, tanquam
Archi-Ducis Austria, utilitatibus adversus, in Bannum jure
declarari possit?* Quod si enim jure suo Status fœdera-
possunt inire cum extraneo, quamdiu pro hoste Im-
perii nondum declaratus est; & vero hostis alicujus
Status Imperii, v. c. Archi-Ducis, & hostis Imperii per
logicam Legum Imperialium non sunt synonyma; Qui-
libet concludere inde potest, quod nulla justa & ido-
nea causa Banni adsit. Equidem non negamus, quod
Status Imperii in Bannum declarari possit; nam hoc
per Conventiones publicas inter ipsos placuit. vid.
*Recess. Imp. de Ann. 1555. §. Und damit solcher Friede ic.
Kaysers. Land-Fried. De Ann. 1548. Ordin. Cam. P. 2. Tit.
9. §. So jemand ic.* Atque ejusmodi Bannum salva
Statuum suprema potestate contra ipsos evibrari pot-
est. Dico salva potestate suprema. Nam etsi conve-
nerit, ut apud commune fœderatorum Concilium, vel
eum, qui in fœdere superior est, Cives singularum ci-
vitatum certis ex causis rei fiant damnatique punian-
tur, id nec ipsum potestati summæ adversari, jam olim
agnovit Proculus Jctus *in L. 7. §. 1. ff. de captiv. & post-
lim.* Nec ullum dubium, quod in æquali fœdere potestas
decidendi sociis reliquis, aut certis personis ex pacto
deferri possit, conf. Huberus *de Jure Civitat. Lib. 1. sect.
3. cap. 3.* Perinde vero hoc ad Bannum applicari potest.
Habet hoc speciem executionis, militaris sive belli;
quippe

quippe quod remedium ultimum est, si non conveniat inter Principes summos. Prævit nobis hac in assertionem illustris Dn. a Rhez *Jur. Publ. Lib. IV. tit. 19. §. 13.* quando inquit: *Imo si ex vero dicere liceret, intuitu Instrumenti Pacis, quando sic etiam in Bannum proceditur, Magis contra hostem, quam qua is Status Imperii est, decernitur. Non contra subditum sic statui posse, in propatulo nunc esse reor: Diu enim explosa opinio est, Imperii Status vere esse subditos. Sed si hostis est publicus, contra quem exercitu opus est, in ordinem redigendus talis Status quoque in eum casum, eo numero censetur.* Pactis hinc pœnalibus se invicem adstringere, v. c. fractiones Pacis publicæ, pœna banni afficere, nil delibat de summa potestate. vid. Dn. Præsid. *Introd. in Jus Publ. Diss. XI. §. 26.* Itaque non negamus nunc Principes banno feriri posse jure, (quam contra potentiores bannum rarius exercentur); sed hoc negamus, quod citra justas & in legibus publicis, rationabiliter explicatis, fundatas rationes debeat declaratio fieri in bannum. Monet enim præfens Status Imperii, tum & prudentia politica suadet, ut in irrogando banno caute procedatur; maxime in proscribendo Principe Potentiore, ne idē accidat, quod tempore proscriporum Possessorum terrarum Juliacensum factum est, cuiusā monetā cum inscriptionē: *Wer uns acht/ den wolle wir wieder achten/ Gottes und unsere Ehre betrachten; Acht und aber acht macht sechzehn/* prout hoc adducit Scharichmid ad Schütz, *Jur. Publ. Vol. 2. Exerc. IV. ad th. 8. lit. C.* Aut sicut de Alberto Brandenburgico fertur, quod denuo in bannum declaratus dixerit: *Acht und aber acht seynd sechzehn.* vid. Dn. a Rhez. *alleg. loc. §. 16.*

§. XXXVI.



§. XXXVI.

Quamvis autem pluribus hoc deduci posset; attamen cum præsens materia pro instituti ratione satis ventilata sit, telam hic abrumpendam esse censuimus, quippe ex mole & pondere nullam gloriam captantes. Sufficere enim hoc putamus pro exercitio ex libertate academica conscripto, hincque in nullius præjudicium tendere valente. Quod si interim in hac re, quæ difficultate & momentorum profunditate facile reliquas Juris Publici controversias superat, subinde aberravimus à vero Jure publico Imperii; illud non scriptum volumus, Interim veniam speramus; quia in arduis etiam voluisse satis est. Quod superest, Deum imploramus, ut illos, qui ad regimen Imperii Provinciarumque concurrunt, sapientia & probitate instruat, quo exercitio suorum jurium, & potissimum ancipiti aleæ subjecto illo fœderis cum exteris, & inde orientis belli, ita utantur, ut suas, non privatas quidem, particulares tamen injurias (intuitu totius Imperii) publicæ tranquillitati omnium, quantum salvo honore ipsorum & protectione subditis debita fieri potest, condonent, ac sacras faciant, seque Germanos Principes ac Status meminerint, quorum Majorum fides & fortitudo, jam olim in theatris Romanorum celebrata fuit, teste Tacito; quique concordēs ac uniti perpetuo vigere, florere ac triumphare possunt.

G

COROL-



COROLLARIA.

I.



Uemadmodum *foedus Amphictyonicum*; quod uniuersae Græciæ unum in publicis causis tribunal statuebat, singulis Græciæ Civitatibus non adimebat potestatem summam; Ita par decisis de iudicio Camerali & Aulico Imperii valet, quod, salvis iis, Germania possit esse corpus foederatum, in plures summas potestates distinctum.

II.

Cogi & plecti potest socia Civitas, quæ *legibus foederis* satis non facit. Nam status foederatarum Civitatum est status naturalis; in hoc vero alter alterum promissis non stantem armis compellere potest, cum qua compulsionem *Bannum Imperiale* recte comparatur.

III.

Pacta *Confraternitatum* inter Serenissimas nonnullas Domos, licet ab Imperatore specialiter confirmata omnia non sint, valent tamen ex natura Feudorum Germaniæ oblatorum, & implicita confirmatione, quæ in Capitulationibus Imperatoriisprehenditur.

IV.



IV.

Majestas est una in Civitate & indivisibilis, plures tamen partes potentiales habet circa diversa objecta occupatas, quæ omnes sub summi Imperii notione in unam voluntatem influunt, quæ unio animam Reipubl. constituit. Hinc si una partium potentialium, v. c. contributionum, belli &c. restringitur ad alienam voluntatem, licet intra eundem cœtum, duæ sunt reipublicæ; uti in Anglia, Polonia, nec tamen fœderatum systema exacte referunt.



VI

Majestas est una in Civitate & indivisibilis plures
 tamen partes potentiales habet circa diversa objecta
 occupatas, que omnes sub summi Imperii nomine in
 unam voluntatem influunt, que nullo animam Roi-
 publi. continent. Hinc si una partium potentissimum
 v. c. contradiantur belli & restringitur ad alienam
 voluntatem, licet inter eundem certent, que sunt re-
 publice, ut in Anglia, Polonia, nec tamen for-
 desunt systema exage. reformant.



Pacta Conventio...
 tas Demos...
 orna a non...
 contradiantur...
 restringitur...



ULB Halle
003 892 832

3



7
sb.





Inches

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

DISSERTATIO JURIS PUBLICI

De,

FOEDERIBUS
STATUUM IM-
PERII CUM EX-
TERIS

Quam

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

D. N. FRIDERICO
WILHELMO,

REGNI BORUSSICI, ELECTORATUS AC PRO-
VINCIA RUM HÆREDE &c. &c. &c.

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,
P R Æ S I D E

JACOBO BRUNNEMANNO,

JURIUM LICENT. ET PROFESS. PUBL.
EXTRAORDIN.

D. Februar. MDCCIII. H. L. 2. C.

Eruditorum disquisitioni subjicit

ANDREAS CASPARUS SCHWARTZKOPFF,
Brunsvicensis.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Typis JOHANNIS GRUNERI, Acad. Typogr.